

53  
6  
MARGARITA

SIVE


AENCOMIVM PAREN-  
TALE MARGARITÆ AVS-  
TRIACÆ, HISPANIARVM REGINÆ,  
FVNDATRICES COLLEGII REGII SO-  
cietatis Iesu Salmanticensis: pro con-  
cione habitum in profesto Sancti  
Ignatij eiusdem Societatis  
Patriarchæ.



*Ab Andrea Mendo Societatis Iesu.*

IN LVCEM EDITVM.

*Iussu D. Don Gasparis de Velasco, Es de la Cueva  
Salmanticensis Academia  
Rectoris.*



*Cum Ordinarij licentia. Apud HYACINTHVM TA-  
BERNIEL, SALMANTICENSIS Vniuersi-  
tatis Typographum. Anno 1634.*

MAR GABRIEL

SIVE

ANNO DOMINI 1700

IN REGIA ACADEMIA

SCIENTIARUM


ARTIUM ET LINGUARUM

PARISIENSIS

PROFESSORIS

REGII

PARISIENSIS



DE ANNO 1700

IN LUCEM EDITUM

IN REGIA ACADEMIA

SCIENTIARUM

ARTIUM ET LINGUARUM



IN REGIA ACADEMIA

SCIENTIARUM

ARTIUM ET LINGUARUM

CENSURA REVERENDI ADMODUM Patris Fr. Iosephi de la Cerda, sacre Theologiae in Academia Salmanticensi Magistri, Benedictorum Collegij Regentis.

HANC, licet lugubrem, non ex funere funestam, sed ex oratore faustam Panegyrim & vidi, & legi, & audivi, parum est, in omnes sensus ibi. Os, auris, oculus tot suffragia reddunt, quot sensere prodigia. O quantum iuuenis ille matris sit, Os, humerisque matri similis! Quam masculam dictione, quam fulgenti murice tincta, Margaritam purpura pallere non sinit in morte. Vivam credidi, sic se fellit orationis vita, etiam dum mortuam decantabat. Dicat, quod sentio de oratore, Sydonius lib. 9. epist. 7. Nullus est, cui meditato par assistat dispositio per causas, posicio per litteras, compositio per syllabas, proprietas in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumētis, pondus in sensibus, flumen in verbis, flumen in clausulis. Structura haec fortis, sed firma, coniunctionumque per facer arū nexa caesuris insolubilibus. Sed nec hinc minus lubrica, et leuis, et modis omnibus eroundata, quae lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salubrosas passas iuncturas per cameram palati volutata balbuciet. Tota denique liquida prorsus, ac ductilis, veluci cum crystalinas crustas, aut Onychintinas non impaeto

digitus lingue perlabitur. Hæc ille. Regina, & elo-  
quentiæ cultus typis orationem optat. Censeo  
communi censui implendum desiderium. In nos-  
tro Collegio Benedictino Sancti Vincentij 18. Au-  
gusti. Anno 1634.

F. Joseph de la Cerda.

H

y de la Cueva bonarum litterarum

studiosis.

**H**A NC funebrem panegyrim ab amanuensi  
 exaratam extortus author, mihi priuate le-  
 gendam dicauit. Gratissimum mihi munus,  
 semel, & iterum totis oculis hausi, nec sine animi  
 geminata voluptate, nec absque nova admiratio-  
 ne, quam tamen ingentem conceperam, dū illius  
 ori omnino intentus, viventia verba, animatosque  
 affectus audiui, inspexi, obstupui. Ergo peccarem  
 in cunctorum desiderium, qui hoc aurium & oco-  
 mium certatim exoptant, si illud invidus negarem  
 lucem itaque videat, vt qui omnimodam facun-  
 diam amant in breui Codice ea potiantur; maiora  
 que ab authore expectent cuius adolescens adhuc  
 ingenium in tam fecūdos fructus pullulavit. Hoc  
 vnicū mihi lector gratulare quod illo invito, imo  
 adeo reluctante, vt in me tantum non fuerit iratus  
 maluerim tamen hoc tibi obsequium indulgere,  
 quam eius, quem charissimum habeo, precibus  
 exorari.

A

3

SO

Clarissimo Principi.

DOMINO D. GASPARI DE VELASCO,  
& de la Cueva, Academiae Salmanticensis

apici, foelicissimam salu-  
tatem.



**N** grati mei animi tesseram, Nobilissime Iuuenis. Fas sit, animum tuorum copia beneficiorum iam pene laborantem, per hoc qualecumque gratitudinis symbolum, respirare. Quippe maioribus praeludit obsequiis, qui eternum se tibi militaturum destinavit. Fauebis sane: quia cuius fauendo genius assuetus libertatem in benefaciendo dearscit. Quid, quod Musae tui pectoris sacrarium satis sibi augustum ebegete Parnassum? Igitur ad te confluent, si tamen extra te sunt. Mea equidem morari impatiens, a suggestorepti nostri, ubi hoc ipso vespere, Philippi Tertii, et Margaritae gesta libavit, ad te ambitiosa festinat, ut tuo Regno (vel si quid ultra) sanguine clareat, tua prudentia floreat, tua comitate nobilitetur. Amantissimam itaque lege. diuque vive, et fortunam virtute preme. Ex hoc nostro Regali Salmantino Collegio Societatis Iesu. Tertio Kaledas Augusti. Anno Christiano 1634.

20

ε Andreas Mendo.

504

# SOLVTO OFFICIO DEFVNCTORVM MARGARITÆ

IMMEDIATE POST ILLA VERBA,

*Requiescat in pace, incē-*  
*pit orator.*



**R**GO Mortua est Margarita! Vel fallunt nos lugubres hæ voces funebri concentu Margaritæ parentantes? Prohi dolor! Viuã adhuc Margaritam sincera gratulatione veneraturus ascenderam, vt mens lætitiã satiaretur internã, dum hinc Reginam commendaret æncomium, illincquẽ Ignatius sollicitaret ad gaudia: Ast vbi tubę clangor

tristitia languescit in nuntia, & male fortis in ore tenor flebili Numen propitiatur conatu, vt requiem Margaritæ indulgeat æternam; animus ecce ingenti variatur affectu, & pectus sensu contabescit arcano. Maror ingens dissimulationis nescit patientiam; luctu constipatur immenso: internis carceratis indignatur angustijs; & marcidã imagine toto peregrinatur in vultu. Et verò Margarita decessit? Ite, ite lachrymæ novus iam exundet Oceanus: nolite mihi in officio pietatis esse crudeles. Sed heu! Quid possum suspiriorum sperare naufragio? Plurima vndarum moles potest immergere dolentem, doloris ast causam eluere non potest. Crescat tamẽ inter gemitus amor in Margaritam, & cribriatis de super lachrymis, novas excutiatur in flammis.

At quorsum hæc? Quænam male suada fides siccinõ turbavit ingenium? Et credidi obijisse Reginam? & flevi? & dolui? & langui? Hercule peccavi in Margaritam. Culpa fuit discorde tumultu animum sparsisse in diversa, & licentiori affectuum libertate in frontis scæna pectoris explicavisse tragædiam. Ergone? regalem animam flebilis fædabit enormitas, quasi mori potuisset heroina, quam fortunæ victricem fecit æternitas? Vivit, vivit: nec equidẽ

tantum ius nocēdi permissum est Parcīs. Vivit, quia semel vixit, brevisque facti cursu famam redemit, quam nulla mors unquam extinguet. Itaque lachrymandi castigetur dulcedo, invidi procul absint & planctus; huic tamen culpæ præstitit succubuisse, quasi grandis noxa timeretur, nisi leviter peccaretur in lachrymas. Faciem iam, quam tristitia nubilavit, hilaris animi serenet amantitas; ne funesto planctu Ignatij damnetur profestum, quod nostri gaudio destinavere Maiores.

Igitur hoc annua panegyri societas ambit, ut diem, quem Ignatius cum Margarita partitur, nos etiam communis gaudij festivo commercio partiamur. Societas etenim se tota debet Ignatio; Ignatius at (quis de viro gratissimo obstinabit inficias?) se Margaritæ fatetur cum Societate deberi. Litterarium ergo illi litamus obsequium, beneficiaque ut potest; nostra gratitudo compensat. Grati nunquam me castor probabimur, sed largitatis effluxus in gratitudinis nos liberavit afflatu, quia fiduciam abstulit rependēdi munerum sine onere oppressura maiestas. Præconis lingua detur in otium; sua magnitudine res gestæ loquantur. Quam vivide in æternaturis monumentis marmora mortua proclamant! vocalis operum taciturnitas fidem extorquet, quæ forsitan vive vocis perichitaretur officio. Nonne fastigiatur è media vrbe Collegium, Philippo, & Margarita dignum? quod ab eorum gazâ eandem tandem erigetur in gloriam, ut vix septeno cedat prodigio, orbis totius cessurum in bonum. Materno animo suam hanc domum Regina vocabat, quæ si illa supervixisset, concordiam iam pace crevisset in astra. Quippe si immensam molem in rudimentum extulit potestatis, fide bacillat, qui de insigni pietate infra miracula credat, fuisse effluxura incrementa. Pulcherrimam sanè machinam, quam improbus labor erexit, operosiori mentis conatu Margarita construxit; nec lapis ullus assurgit in culmen, quem non illa prius plusquam olaboravit affectu. Vos, viri clarissimi, ad eius codicillos, testamentaque voco, quæ vbi de suo Collegio decernunt, dulcedine amoris per singula verba spirant largitatem. Supremo in eis dictavit spiritus, Salamantinum extolli Collegium, ut soleret, quæ societati deberet. Livor nunc reclamare dediscat, namque hisce inest vocibus genius Regine insinuat alumnis. Nec novus erga Iesuitas amor Margaritæ irradiat occasum, quæ



9  
57

quæ Societatem deperiens regale sumpsit exordium. Ex Germania sua ad nostram properabat Hispaniam, cum se Reginam præsentens, totam purpuræ pompam Ignatij sacravit ad cultum, & cui primitias obtulit, integram maiestatem oppignorasse videtur. Ergo Augustæ vestita personam, ut plus sic fleteret deprecando, Pontificis procubuit ad genua, ut apotheosi Ignatius consecraretur, exorans. Amat nos æde pòl, quæ suæ nescit incrementa fortunæ, quin nostrum flectat ad commodum, sibi non poscit inducias. quæ nobis benefaciendi se dedit obnoxiam: Nuper indutam purpuram præcipitat in periculum, quia minus sibi timet de repulsa pudorem, quàm sustinet de nostri boni tarditate suspiria, quantumvis nuptialis hilaritas faceret interpellatione iacturam. Melior adhuc titulus beneficium exornat; nam de pietatis cultu sui imperij ostendit specimen, ut non modò amoveret invidiam, sed quem nobis aperuisset amorem, publici boni tessera commendaret. O verè Societatis mater Margarita! semper eà arte benefaciendi pugnavisti, ut, quæ præstares, reddere videreris, ne debitum gratiarum exigeres, sed noseisdem artibus contra tuam modestiam præliamur, ut gratias accipias, quas solvimus.

Iam Philippo, & Margaritæ gratulatore, ipsorumque gestallanti, insultat silentio mirabilium concursus præ multitudine tumultuarius. Equidem prius orationis tædium nauseabit auditor, quàm summa factorum capita prolixus delibet orator. At præclare satis mecum, & Regibus actum erit, si tanto in pelago fecerim naufragium; nam utcumque possumus, laudare conamur, eorumque ardemus per posthuma sæcula fortunare memoriam.

Inter vitæ tyrocinia, pectori Margaritæ virtutis affectum celestis favor infudit, quo, illustri triumpho, castigavit fortunæ tumorem. Mores maiestate concinnabat amæna. Concors vividæ indolis vigor per augustissimum corpus conspiravit in ævum. Nulla ex his calamitas, quæ plerumque palatia vexant, eius fœlicitatem afflavit; quin & proceritas animi exundabat in vultus. Reginam illicò crederes; quamvis à familiâ tredecim Imperatorum, trigintaque Regum fœcundâ, sortita non fuisset exortum. Ab Austriaca prole nec adhuc puella degenerans, in tenero flore degerebat ætatis, cum messem virtutum lacteus experimentorum culmus attulerat. In adolescentiam deinde à pueritia productain

ea ferebatur studia, in quæ illam videbatur fecisse natura. Virtutum adolevit splendor, sed non adolevere virtutes, quæ in pectoris mundi sacrario adorabantur, à cunis iam pridem quasi ignorantes augmentum. Grandior iuventus in corpore proceriori tantum ministravit materiam, in quam fulgor derivaretur ingentior, qui oculos prius iurare tenero delibabat infantia. Haud secus ac animus idem vagiens in ortu, in pueritia lascivius, in iuventa pubescens, virili tandem maturefcit ætate; sic dotium Margaritæ decor mollibus membris molliter intermicans, radiavit ex oriens, exuberavit accrescens, lucis denique abyssu præstrinxit obtutus.

Prætergressa longissimè obsequia famulantium, diu curæ quietis dispendio, integrum in pauperes præstabat officium, quin eius vinceretur auctoritas prævisio, discriminis. Parandi victum, medicandique vulnera cura sollicitabat, quam nec meminisse origini suæ honor saltè adinonebat alienus, Vos vos appello cæcæculi: vos spectatores advoco virtutis alumni. Invisitat die quadam Margarita xenodochium, cum ecce secretior aula, quæ putrido gemebat sub lecto, illius oculos, ut levaretur, allexit.

Misera iacebat muliercula, quæ contagio laborabat infami (solita turpis militiæ stipendia) Adeo sævierat insania morbi, ut formidam puderet naturæ, medicæ redoret artie, famulos pigret officij, morbidam prorsus solatio abdicaret humano. Macie corpus conficiebatur exangue: facies obsolebat illuvie: oculi in suas refugerant cavernas: per inanes fauces spiravit Avernus: pectus aridum ab spina ferè nuda pendeat: ossa cutis pro carne velabat: digiti tantum continebantur articulis: manus frustratæ motu titubabant enerves. Vidisses diffluentem undique sanem; squallidas carnes dehiscentes in frustra; erumpentes qualibet vermium cohortes. Peccati piaculum poenarum iuerat incogentem: illam non foeminam diceres, sed foemineæ figuræ turpe vestigium. A facie facies aberat; à corpore corpus abscesserat: vel marcidum crederes cadaver; vel ipsius cadaveris iudicares sepulchrum.

Quid ageret, quisquis hoc invidisset in spectrum? oculos sanè formido præverteret, & factoris spatia tempestas ad eunte in longè fugaret. Sed quid Margarita? Animum ingenti fide Auditores armate.

armate. Illa, vt vfu delicatiori nutrita, ad istam purulentam senti-  
nam palpitare præcordia sensit, stomachum movere discordias,  
viscera tumultuari, reniti vires, vacillare lumina, animum præten-  
tari deliquijs, mentis perichitari propositum. Quò se verteret deli-  
cata puella in tanto virtutis, aut vitæ discrimine? Ergo sui trium-  
phatrix, facinoris pigritiam erubuit; timoris licentiam compri-  
mit: stomachi segnitiam obiurgat. Et secum nõ leviter iracunda,  
obedientiã sensibus imperatã, patientissimis oculis de super incũ-  
bit. Mox vicinior, vt levamenta condiret, sermones inducit alter-  
nos: animi sensum explorat: obsecrat tolerantiam: admonet ægro-  
tantem, nundinas sibi ad esse coelestes, mercaturam igitur exer-  
ceat; anxietatem pace permutet: amaritudine dulcedinem emat:  
superesse sibi monetam ad cõmerciam, si dolor patientiæ cuda-  
tur imagine. Tandem cibos inserit: manu contrectat: versat in le-  
cto: culcitram emollit: pulvinar discutit: stragula sternit: vultum  
officiosa detergit; & tanto solamine ægra fatiatur, vt propè fuerit  
exclamare: Fortunata calamitas, quæ tanta dulcedine compensa-  
tur! O clarissimam valetudinariam! ò nova prodigia maiestatis!  
Discant hinc, discant ab humilitate grandescere, qui superbo su-  
percilio vel pauperis indignantur aspectum, ad quamlibet cicat-  
ricem in naturam ipsam stomachantes.

Huic pietatis exordio Margarita pares fecit in virtute profec-  
tus, quos faces deindè maritales secutæ nullã intercapedine teme-  
rarunt. Proximi formidabat hymenæi commercia, ne ferventi co-  
nati indulgentior præscriberet status inducias. Sed vbi piũ adeo  
fuisse nactam advertit sponsum, ardentiorẽ erga Philippam cha-  
ritatem adauxit, & coelestibus inhians, virtutes omnes ad culmi-  
ni grandior evexit. Politicę maiestatis larvam excutiens intulit  
religionem in aulam, quæ tunc primum didicit non obstrepere  
virtuti. Posuit suas artes adulationis ambitio; & noverat quisque  
Reginæ gratiam non aliter, quàm candidis moribus, sincerãquẽ si-  
de exorari foelicius.

Equidem ab indole tua, Margarita, versa sunt in templa pala-  
tia, aulaque studio emulationis invigilans, ad tuarũ virtutum festi-  
nabat exemplum. Muliebres delicię, quas tantipendit foemina-  
rum philocosmos ingenium, ad formam commutate meliorem  
altari destinabantur. Instar miraculi fuit, vt syncerior facies esset

in pretio, & quæ spurcissimis inmunditijs genas illineret, spectris subiret infamiam. Nō ad præsidium, vmbraque pudoris suggestum eminebat in capite, sed se tanquam turpitudinis signum extulerat. O aurea sæcula, quibus consuetudo fuit, quod plusquam prodigiū nostri sæculi probavit improbitas! Fœminas igitur Margarita volentes fecit esse modestas. Sed quid non obtineret, si ipsa præibat? Quoties discinxit monili cervicem, vt sacraria ditaret? quoties vnionibus digitos exarmavit, vt largiretur Ecclesijs? quoties illustri pompæ despectu, gemmis se spoliauit, & auro, ne Cærites squallido cultu à frigidis mentibus extorquerent adorationem? Capillus nec vnicus quidem sub disciplina fuit, nec faciem vnquam demulsit lenocinio coloris.

Neque dumtaxat debent Margaritæ mortales. Parum erat, nisi Numen muneribus immortale vinxisset, cui dominandi iure sæcula obnoxio famulantur ingenio. Quingētas argenti pyxides per mōtana divisit, quæ variā celatura gemmarum arcana Eucharistiæ tegerent sacramenta. Scilicet nidos finxit pellicano cœlesti qui charissimos pullos cibatos visceribus sanguine potat, quem ad uncitas oris à pectore scisso explicat in fluentia.

Iam vobis, dum totus à Margaritæ vultibus pendeo, damnasse videbor oblivione Philippum. Arceat Deus omen, ne mente cōceperim tam grande piaculum. Sed commendavi quæque in Margarita Philippum; neque enim corporum modo, sed matrimonio etiam convenerant animorum. Illud tamen silentio non preman, quod in Hispaniam, inque fidem contulit beneficium. Nominis Hispani gloriam Mauricæ olim polluerat temeritatis successus; impetum eorum quassavit Pelagius, Ferdinandus avulsit; sed infames reliquæ per vrbes, domosque nostras iunxere commercia; nec sine Hispanicæ famæ apud exteras nationes iacturâ, nec sine dolore nostro, qui torquebat labes toties propter oculos inspecta memoria. Potuit timeri perfidia, sed eorum (ah pudet!) egrebamus famulatu, donec vile adeò servitiū exarsit, vt & dominos suos proscripserint: nosque per fraudes destinaverint in excidiū. At eorū conatus Superum cura frustravit, tibiq; dedere. ò magne Philippe, infamem hanc penitus excindere stirpem. Idē prius altissima tui Patris optavit prudentia, tuique Avi incōcussa fœlicitas; sed eos iam iam conaturos abduxit nimium nobis immixta zizania,

zizania, ne Hispanos etiam in eorum exturbatione vastarent. Hæc autem gloria vni tibi servabatur, qui hoc lolium eradicasti frugibus inimicum; quodque gladij violentia sine crudelitatis nequivisset invidia, id tuæ clementiæ vox facile obtinuit, quin ea victoria steterit tibi Hispani vel tantillo cruoris; maximà tamen tui patrimonij iacturà, quod ab illa gente plurimùm accrescebat; sed ne dedecus hoc patereris, opibus maluisti decrescere. O divitiarum triumphum hoc sæculo insolentem! Tanti tibi fuit, iterum penè amissam restituere Hispaniæ gloriam, Hispaniam fidei, fidem securitati.

Nostram foelicitatem invidabat iam coelum, Philippumque & Margaritam exposcebat in astra; vt syderibus adaetum illustriori lumine claresceret. Ergo biceps illa aquila volabit ad superiores; & ne Iesuitæ dolore inundarentur immenso, Philippū Quartum nostro Collegio legavere Patronum; qui dote multiplici immortalitatem famæ promeritus sæcula nostra omnino beavit; quippè eius cervici vltra Atlanteam constanti tota fides foelicitissimè accumbit.

Nec enim, inelyte Philippe, à tantis heroibus genio excidisti degeneri, sed ad illorum compositus gloriam animo supra fortunam ingenti. Nondum vita tibi per sex denos orbis affulserat, cū extincto parente ad Hispaniarum scepra maturueras. Scandisti solium vtrique mundo leges dicturus, & vltra spem omnium implevisti coronam. Illico Principes vndique, tanquam in regna viro vacantia motibus exsonuere in Hispaniam; sed, vt admoneres ignaros intonuisti, fulmineisque tuis ducibus non bella, non pugnas, mandavisti trophæa. Scilicet potes immotus ipse, instar Iovis solo nutu conficere bella. Tanta est fides obsequentiū: tanta est tui maiestas imperantis. Vidimus tunc confluentia inter se tela perfidorum, & inimicas acies in ipsa congressione cadentes. Sic, dum cuncta moventur, cuncti triumphantur. Nempe concutendus fuit orbis, vt vinceres. Ita elucere per armata miracula debuit; non omnia tibi dedisse Maiores. Talibus auspicijs Philippi adolevit imperium, quod firmissima semper erga Numen, hominesque fide nobilitatum, ijs laudibus perennabit, quæ posteritatem, famà per sæcula superstite; obstupefaciant.

Est ergo Societas, his Dominis, Patronis, Parentibus, fausta; nonque

nōque adeo gaude, quod eorum te ditaverit liberalitas, sed quod amorem in te suum Philippus, & Margarita explicuerint; & probatissimam cunctis te effecerint amantes; quodque Philippus Quartus tibi favere præstat usque beneficus. Exolve Deus immortalis hoc tantum in te obsequium, in nos beneficium. En tuo spiritui erigitur templum: nobis domicilium: Salmanticæ ornamentum: litteris palatium: hereticis formido: virtutibus seminarium, & quia nos dignè nec habere valemus, tu largus pro cunctis rependito gratias.

Ego quidem (nam gemitum audio lassa geminare subsellia) hoc unico Margaritæ parentabo, si eius memoriæ tumulum erigam, qui possit esse triumphus. Igitur effigies, quas mente formavi, artificii manu aliquis Polyclete in marmora dispensato. Iaciat fides intemperata fundamentum; cum Margaritæ non tam curæ esset, ut regnaret, quam ut Catholice, & supremum in orbe sortita fastigium, tamen ultro submisit diadema thyaræ. Quatuor inde columnina assurgant, & columnas succedant in Doricas Regina prudentia comitata iustitiâ, fortitudine temperantia. In basim aptetur Religio, quia noluit Margarita fortunari, si cum ipsa pariter cunctorum non floreret veneratio Divorum. Intextis virtutibus epysilia nestantur, & pretioso splendeant inserta ligno, decorata metallo. Casti pudoris albicet ebur: nobilis in cedrum grandescat humilitas, constantiæ fulgoribus vibrent adamantes: vermiculatae in regnos pietatis eluceat argentum: aurumque ardentis in Numen scintillet amoris.

Scapos hiltriatos armorum insignia dispersa nobilitent. Hic Imperatrices aquilæ Catholico tenore clangentes armentur fulminibus, quæ prælia in verum Iovem foelicissimè frangant, novolque Titanas giganteo furore per Septentrionem conspirantes exarment. Castellorum isthic invicta constantia æternam annuntiet fidei securitatem, ne sedis incerta per exilia vagetur. Ipsi servandæ vigiles magnificam pacem sanciant Catholici Leones. Floridam illic stationem lilia venustent, quæ numquam genio circumspirantis hereseos marcescant afflata. Istam illustrem molem topiarium opus adumbret, & geminatis arcubus, nempe deliciarum obtentis à Regina triumphis, desinat in pyramidem, cuius muneri Fama suffleta, sincera buccina sonet, facinora evulget, facta

Et aperiret, mortales undique ad gestorum alliciat emulatio-  
nem. Sub arcuata machina dives pavimentum lapidicina fatiget.  
Aurea corona desuper palis languescat inanibus; dumque sibi do-  
let excidisse Margaritam, illamque frustra anhelat a fodina gem-  
marum, in vnionis desperatione numquam irradiet. Hanc deni-  
que pompam claudat hoc in Austriaco adamante cælatum, nobis  
epitaphium, Margaritæ trophæum.

*Magna ortu: maiorque viro: sed maxima prole.  
Nascitur: ardet: ouat; filia: sponsa: parens.  
Huc piscator adi; gemmas nec quare sub undis:  
Sub terra latebris iam reperitur onyx.*

**Parentium.**

*Infans parvulo reformis dunt pectine totis  
Nuptia illa vixit, respice illa facis.  
Incidit ipse sub mitho formata sub ore.  
Vapores et non dicit, iam caput ipse mori.  
Parens genis, que unquam legit, Phœnicis in ortum  
Hesperis stans, argit ab ore cinis.  
Quis non formosus formosus, cum in die videtur  
Quis non profertur, voce, mundum facis.  
Nec Regimam parum, vocem nec hostem formosus  
Spectant, nec melior mors, cum in ore.*

DŌN PETRI ZAPATA,  
Comitum de Barajas filij in Patrem  
Andream Mendo, Mar-  
garitæ paren-  
tantem.

Epigramma.

**R**egina infandum fallis renouare dolorem,  
en, loqueris, uiuit: mortua, quando files.

*Inferias querulo resonas dum pectine uocis,  
Audiit illa tuam, nesciit illa suas.*

*Inuidet ipsa sibi nitido formata sub ore,  
Utque iterum dicas, iam cupit ipsa mori.*

*Parce genis, quicumque legis, Phœnicis in ortum  
Hesperia Mendi surgit ab ore cinis.*

*An ne louem simulas, vitam dū uiuidus halas,  
Qui præsit, limum uoce, manuque facis.*

*Nec Regina parem, uocem nec nostra sonantē,  
Spectant, nec melior mors sua, uita tua.*



ORATORIAE ARTIS HOC SÆCVLO

Coryphæo, pro Margarita Regina Augustissima  
celebri oratori, Don Ioannes Bernui, & Mendoza  
Mariscallis de Alcalá, Dominus Benaméxi  
filius, epigramma libat ex officio,

ex animo.

*Qua tibi Reginam irrorare licentia gemmam,  
Quam ne Aurora quidem gemma nobilitet?*

*Gemma hoc ingenium est: lachrimarum rore tuarum  
Ut vivat, Princeps mortua gemma iacet.*

**DON THADEVS BERNVI, ET**  
*Mendoza eiusdem Mariscallis filius, in lau-  
dem amici Authoris, hoc amoris sui dona-  
rium eternitati dedicat, quia de-  
bet, quia caput.*

*Mira cano. Austriacæ cesserunt æthere flammæ,  
Terra tamen cuncta est haud viduata die.*

*Ingenio fax quippè tuo micat vtraque, tali  
Sidere, nec radios est positura suos.*

DON

DON PHILIPPVS DE VELAS-  
co, & de la Cueva, Comitibus de Siruela  
filius, Patris Andreae Mendo in  
humanioribus litteris discipu-  
lus, in eius Margari-  
tam.

*Iam sibi fusca suas euisceret India conchas,  
En plures gemmas Margaritis una dedit.*

*Vnica sat ditat regalem gemma coronam,  
Hoc calante stilo, fit pretiosus onyx.*